Aphorismi Paedagogici

quos,

Consentiente Max. Venerando Cons. Eccles. Lundensi,

pro munere Rectoris obtinendo

publico examini defert

Mag. CHRISTOPHORUS TEGNÉR

Liter. Arab. Doc. ad Scholam Malmog. v. Conrector,

Respondente

JOHANNE PETRO HOFVERBERG

Scano.

In Acad. Carolina die XV Junii MDCCCXXXIII.

LONDINI GOTHORUM,

TYPIS EXCUDIT C. F. BERLING,

UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS.

MDCCCXXXIII.

Aphorismus I.

Ut apud exteros, ita in patria etiam, saeculo, quo vivimus, de re scholastica multum sane vehementerque disputatum est. Viri enim, et ingenio et doctrina praestantes, rei scholasticae examinandae nihil non curae et diligentiae tribuerunt, neque scholam infimum habuere locum, in quo suam animi sollertiam ponerent. Idque merito. Quantopere enim virorum intersit, qua ratione informati sint pueri facile intelligitur. Vim idcirco permagnam, in utramque partem, primae esse institutionis inter omnes convenit. Sed quo magis hac de re amice conspirant omnes omnium sententiae, eo vehementior exorta est dissensio, si quaeritur quaenam sit optima in schola elementaria, de qua sola est nobis hoc tempore disserendum, instituendi ratio. Quo factum est, ut nostris jam temporibus deventum sit in medium rerum scholasticarum certamen atque discrimen. Qui vero omnis apud nostros homines certaminis paedagogici cardo, quantum equidem intelligo, in eo praecipue vertitur, quod ambigitur, utrum *formalis* an *realis* institutionis finis praeripiat palmam. Qui finem urgent formalem, et diutius viguerunt, et hodierna omnis in publicis patriae scholis instituendi ratio ad eorum proxime accedit sententiam. Cujus id est proprium, ut sit omnis institutionis caput, quaecumque a natura discipulis tributae sint animi facultates, imprimis vero quas vocant *intellectuales*, easdem omnes, et quidem summo cum concentu, excitare, exercere et exercendo firmare atque subigere. Neque tamen ideo haec schola *res* omnino negligit. Ea enim est ratio animi, ut quae ei insint facultates neque excitari possint neque excoli, nisi adsit *materia*, in qua pertractanda sese exerceant ingenii vires. Qua ex re facile intelligitur, qui finem urgent formalem, sibi persvasum habere, se non ea, quae velint, assecuturos esse, sine

rerum quadam scientia. Quae vero rerum scientia, sive ipsa materia discendi, non nisi secundas agit partes. Neque enim haec cognitio per se constituit institutionis finem, neque suam exinde trahit laudem, quod percepta sit, neque exinde quod vim quandam atque utilitatem in frequentiori hominum vita afferre possit. Hujus vero materiae summa laus in eo sita est, quod subministrat ea, in quibus pertractandis suas vires periclitetur puerile ingenium. Qua re factum est ut omnis scholastica institutio sit simillima verni temporis labori, quo excitanda est naturae insita vis et terrae *praeparanda* foecunditas. — Qui autem contra realem scholae finem urgent, iis principem locum ipsi rei cognitae tribuere visum est; parumque omnino respiciunt qua valeat facultate res cognita ad ingenia excolenda et firmanda. Satis esse existimant, copiam quandam rerum cognitarum, quae quo major sit, eo melior, in futuram utilitatem memoriae tradi, ibique a ratione suis quibusdam singulis locis disponi atque ordinari. Quo factum est, ut puer, *qui plurima didicerit*, is horum judicio instructissimus habeatur, illorum vero sententia, puero, *qui ad discendum optime sit praeparatus*, sit deferenda palma. Formalistae scholam esse *propaedeuticam* statuunt, Realistae eandem *encyclopaedicam* volunt. Illi rerum cognitarum *qualitatem* hi vero *quantitatem* maximi faciunt.

Aphorismus II.

Quas diversas de fine scholarum sententias non posse non vim maximam afferre et ad delectum rerum discendarum atque discrimen, et ad ordinem quo singulae tradantur, et ad ipsam denique informandi methodum prudentissimus quisque sibi facile persuadeat. Realis igitur schola eas praecipue elegit res discendas, quae captu sint facillimae, quae pueriles animos maxime delectent, quaeque praeterea ad communem hominum vitam maxime spectent, ibique insigniorem quandam prae se ferant utilitatem. Instituendi igitur initium lubentissime repetit a rerum naturalium studio, in Historia et Geographia, quam fieri possit maxime, versatur, in Mathesi tradenda quae ad vitae usum accommodatissima sint, ea praecipue amplectitur, et in linguis denique discendis maximam hodiernis navat operam. Neque negari potest, harum omnium rerum cognitionem et utilem esse et necessariam, quippe cum in his ipsis rebus bona omnino versetur eorum pars, quae ad communes literas et politiorem humanitatem nostrae memoriae homines relata es-

se voluerunt. Tantum igitur abest, ut improbemus scholam haec realia persequi, si modo suo ordine et loco fiat, ut nobis potius persuasum sit, his ipsis rebus in patria tantum, quantum par sit, diligentiae et curae nondum esse tributum. Desiderantur enim aptae scholae, quales apud exteros, perbene constructas, multas deprehenderis, quae his inserviant commodis. Nostrae enim, quae nominantur, Apologistiae non nisi manca harum primordia habeantur, easque, quae earum sit hodierna forma et indoles, suo consilio et fini haud bene satisfacere, nemo, me judice, iverit infitias. Non enim mercatoribus solum officinarumque magistris, non ii quidem qui in obscuris quibusdam et sordidis sed qui in lautis et honestis versentur artibus, quas florere civitatum haud parui intersit, et omnibus omnino — ut breviter comprehendam — quorum in vita practica versatur opera, sed iis etiam qui in circulis et celebritate hominum honeste versari possint. sua proposita sunt propria rerum cognoscendarum genera et apparatus, quae tamen Nostratum publici literarum ludi et imprimis scholae elementariae neque possunt neque debent primario loco ponere. Apologistiae enim et quae sunt aliae publicae civitatis scholae, ut variis inserviant commodis, ita quoque in contraria tendunt; quo efficietur, ut una sede haud bene consistere queant, quin periculum sit ne altera alteri sit impedimento vel, etiam alterutra earum de suo regno detrudatur. Quare illi quoque mihi optime praecipere videntur, qui haec diversa non unum in locum congesta velint, sed singulis desideriis singulis institutionibus subveniendum esse censeant. Nostrae enim vulgares scholae eum praecipue in finem publicis impensis institutae sunt, ut quibus sit animus ad rempublicam accedere, hi, utpote res imprimis divinas et civiles administraturi, ita instituantur ut desideriis civitatis, quae perfectam desiderat animi culturam et omnibus partibus subactam, tandem satisfacere possint. Quae autem animi cultura non effici potest nisi insitae facultates ab initio inde formaliter excolantur. Res vero illae, quarum in Realistarum schola traditur cognitio, aut perexiguam habent vim formalem, aut, si forsan cuidam major sit, ea haud parum infringatur necesse est per ipsam, quae invaluit, informandi methodum. — Rerum naturalium doctrinam non nisi intuendo capiunt puerorum animi, eique per oculos tantum, ut ita dicam, operam dant, in memoriam inculcatur nomenclatio, animo vero judicioque nihil fere traditur, in quo suas periclitetur vires. — Historia pueros quidem vehementissime delectat, attamen vix alia quam quae fabulae referat formam. Fabula vero imagi-

nandi potius quam intelligendi vim attingit. Vis igitur ejus formalis parua omnino est. Historia autem, vi sua vera atque excelsa, historiam dico pragmaticam, parum omnino idonea est puerili ingenio materia. Non enim in puerulorum et vix in adolescentum cadit intelligentiam, quippe quae est plurimarum artium cognitione superstructa scientia, in qua non nisi juvenes et viri recte versari possint. — Mathesis ad formalem animi culturam excitandam et excolendam vel maxime valet; ejus tamen ad ingenium excolendum vis, quo magis ipsa disciplina practice tractabitur, eo magis minuatur necesse est. — Quod denique ad linguarum studium attinet, versatur ejus formalis vis omnis in Grammatica, quapropter etiam nulla omnino res majorem, quam Grammatice, ad puerile informandum ingenium habet commendationem. Sed recentiorum linguarum Grammatica est partim minus, quam classicarum, constans et absoluta, partim quoque haec ipsa Grammatica in scholis Realistarum negligentius plerumque traditur Quod nemini moveat admirationem. Heic enim minus cultura animi formalis quam rerum cognitarum copia respicitur. Qua etiam ex re efficiatur necesse est, ut quae maxime compendiaria sit atque practica linguarum discendarum via, eam potissimum sequantur. His igitur atque aliis rebus tradendis — ut brevi repetam — minus in eo versatur schola realis ut puerile ingenium informetur, excolatur et excolendo firmetur, quam ut suis alumnis coacervata sit, quam fieri possit maxima, rerum copia. Neque negari potest, eandem in sua omni instituendi ratione sibi esse consentaneam. Quod enim in omni institutione summum habet atque caput, in id maximopere tendit.

Aphorismus III.

Neque ex altera parte minus sibi consentaneas iniit rationes Schola formalis, quae, in exercendis animi facultatibus, quas vocant intellectuales, de quibus solis, ne nostra expositio nimis longa sit, hoc tempore disseramus, imprimis occupata, vim maximam linguis discendis tribuit; quare etiam ex linguarum, et quidem classicarum, studio proficiscitur. Causa vero quare in linguis classicis tradendis ponat fundamenta institutionis, minime exinde quaerenda videtur, quod literae classicae vi quadam, quasi magica, in pueros valeret, et virgula divina, ut ajunt, iis omnia, quae cognitu sint necessaria, suppeditarent. Ars enim paedagogica nihil habet prodigiosi, nulla agnoscit mysteria.

Quae in hanc opinionem latae sunt sententiae non nisi nugae sunt pueriles et ineptiae, quas viri, ut prudentissimi sint, ita vehementissime improbant; neque haec opinio per aliorum hominum, quam qui superstitiosa quadam harum linguarum admiratione capti sint, animos serpere potuit. Neque hujus rei causa quaerenda est in literaturae classicae praestantia, quae etiamsi haud infitianda est, agnoscamus tamen necesse eandem in umbratilem scholae elementariae exercitationem revera haud cadere posse. Unus enim quisque, quo melius scholam compertam habeat, eo lubentius agnoscet haud Romanam atque Graecam literaturam, quam neque tenent neque capere possunt, pueros excolere, neque idem usquam erit negaturus ea, quae in schola tradantur, reapse aliud spectare quam ut ita *praeparentur* pueri ut ad harum linguarum literaturam juvenibus virisque pateat aditus. Cur vero schola formalis a literarum classicarum studio proficiscatur, hujus rei rationem exinde repetendam esse crediderim, quod grammatices studium omnino aptissimum est, si vim ejus formalem respexeris, ad puerilem animum informandum. Eas enim omnes, quae pueris insint, intelligendi facultates exercet atque corroborat Grammatica. Namque ea discenda et memoria, quam prima praecipue institutio nullo modo parvi faciat, exercetur, et etymologicâ Grammatices analysi animus, ad discendum inexercitatus, exercitationem sibi comparat non verba solum, sed quoque, id quod, re accuratius pensitata, eodem redit, sententiam, verbis insitam, in suas partes dissolvendi, et ope dein constructionis syntacticae usu imbuitur animus dispersa illa atque dissoluta ita componendi et connectendi, ut quae verbis insit sententia eliciatur. Praeterea non est infitiandum, animum ordinari regulis syntacticis, quippe quae specialia quaeque generalibus subjiciant, qua fit, ut a teneris usque adsuescat puerulus notiones non perturbate et diffuse congerere, sed ratione quadam atque ordine constringere. Qua exercitatione facultas judicandi mirum in modum excolitur. Summus igitur Grammatices usus logicus negari haud potest. Quae Grammatices virtus ad animum informandum antiquos Graecos Romanosque nullo modo fugiit. Quocirca etiam omnis rei paedagogicae historia, si vel ab antiquissimis inde Graecorum temporibus eandem repetas, testatur, primam institutionem a linguarum studio esse profectam. Neque est quod mireris. Res enim habet facillimam explicationem. Est enim oratio non nisi missa ex ore ratio (*λογος*), rationis humanae quasi corporea spe-

cies, qua fiat necesse est, ut lingua contineat elementariam quandam philosophiam, quae imprimis apta est, in qua sese exerceant puerilis ingenii vires. Est vero Grammatica abstractio illa, quam facile capit puerile ingenium, idque eo facilius, quod quae per regulas in abstracto pronuntiata sunt, eadem statim, ope exemplorum, quae regulis subnecti debent, in concreto oculis quasi apponuntur. Quam quidem abstractionem esse puerorum ingenio longe accommodatissimam vimque intelligendi ei insitam promovere et exacuere, nemo est, quin sibi habeat persuasum. Quod quamvis de excultioris cujuslibet linguae Grammatica valeat, merito tamen, si inter hodiernas et antiquas exorta fuerit contentio, his deferenda erit palma. Harum enim Grammatica, magis quam hodiernae cujuslibet linguae, severis et accuratis regulis constricta est et absoluta. Hodiernae enim linguae, quippe quae adhuc vivunt, usque perficiuntur et organice mutantur. Ipsa praeterea linguarum classicarum indoles et forma, quae a hodiernis valde differt, praebet comparandi materiam, quae quo insignior est linguarum dissimilitudo, eo uberior evadat necesse. Quo autem uberior adsit comparandi materia, eo clarior diversa linguarum forma atque indoles sub acumen puerilis ingenii subeat necesse est. — Neque hoc loco praetereamus ex lingua Romana, quasi ex fonte rivulos, emanavisse omnes australis Europae linguas; unde factum est, ut lingua Romana, etymologiam si respexeris, magnum sane, ad illas percipiendas, afferat adjumentum. Cum vero linguae classicae ejus sint difficultatis, ut haud parum temporis in iis discendis collocandum sit, facile intelligitur, harum linguarum studium a teneris inde annis esse incipiendum. Aliter enim fieri non potest, ut easdem ita calleamus ut literaturam classicam rite percipere possimus, eamque tanti faciamus, quanti, pro sua praestantia, digna sit quae aestimetur. Est vero cognitu necessaria, quippe cum elegantissimam rerum humanarum referat formam, dimidiamque, et eam quidem insignem, omnis politioris humanitatis contineat partem. Quare etiam in pleniori illa et perfectiori humanitatis cognitione, quam civitas ab iis, qui in republica versentur, merito postulat, nullo modo desiderari potest. Cui quidem fini ut rite *praeparatum* sit, schola elementaria multis in locis iis, quae suae sunt muneris, satisfacit; neque ei vitio tribuatur si — id quod plerumque evenit — fundamento, fideliter et magna cum difficultate jacto, tam pauca superstruantur. Neque ullo omnino scholarum vitio factum est, ut literarum classicarum studium eo ipso tempore abrumpatur, quo, si longius provectum fuerit, non

formaliter solum esset frugiferum; sed emergeret quoque, quanta ad animum juvenilem nutriendum vi valeret linguarum classicarum literatura. Hanc vero ipsam literaturam haud attingere, est quidem illud in causa, quare de insigni honore et virtute, quam sibi antiquitus conciliaverat linguarum classicarum studium, haud parum detraxerit nostra aetas. Studium vero recentiorum linguarum schola formalis ad aetatem puerili maturiorem differt. Teste enim experientia adolescens, linguarum classicarum haud rudis, illarum cognitionem et facile et brevi tempore arripere solet. Vernaculae tantum linguae Grammatica ad aetatem pertinet puerilem. Statim enim, re vel leviter tantum examinata, patet, puerulum Grammaticam peregrinae linguae ejusque indolem et ingenium nequaquam comprehendere posse, nulla inter vernaculam et peregrinam, cui operam det, facta comparatione. Prima igitur vernaculae grammatices lineamenta, arte atque regulis constricta, omni peregrinarum linguarum studio praemittantur. Cumque praeterea terminologia Grammatices sit in puerulorum animos inculcanda, hoc suethice fieri accommodatissimum videtur. Quod quamvis ita sit, adhibeatur tamen cautela, ne ita in contrariam partem peccetur, ut inter res primarias in schola tradendas linguae vernaculae studio locus tribuatur. Neque enim puerulus, quae singularia habet sua lingua, quam lacte materno quasi imbibit, rite comprehendere potest, nisi, quibus in rebus a ceteris discrepet, instituat comparationem; et dissimilitudo, quam, facta linguarum comparatione, deprehendit, quo major sit, eo magis oculos feriet, eoque etiam vehementius valebit ad linguarum notitiam illustrandam. Omne enim grammatices studium, suamet ipsius natura, ita in comparatione positum est, ut ad indolem vernaculae linguae omnia revolvat.

Aphorismus IV.

Si a linguarum classicarum studio discesseris, haud sane scio an quidquam invenias, cujus ad animum puerilem informandum vis formalis major sit, quam cum omnis Matheseos tum imprimis Geometriæ studium. Quae tamen discendi materia in plerisque scholis elementariis jacet. Plerumque enim usu venit, ut nimis sero in schola hujus rei studium incipiatur, ibique non qua par est diligentia ferveat. Lege scholastica commendatur quidem doctrina intuitus (*åskådningslära*), in scholis vero, haud paucis, nullo modo adest. Arithmetica plerumque ita

traditur, ut non nisi memoriae exercendae inserviat, quo factum est, ut vis ejus ad puerile ingenium excolendum formalis, nulla fere sit. Lineas adpingendi consuetudo (*linearteckning*), quae est quasi manibus et oculis Mathesis, digna omnino est quam haud spernamus, quippe quae curam Geometriae praeviam contineat. Sed nulla omnino res discenda vehementius quam Mathesis desiderat ordinem atque cohaerentiam; heic omnia ita et ordine proponentur, ut fere credant pueri, se, sua cognitione illorum, quae antecesserunt, ea quae sequuntur proprio Marte invenisse. Qua ex re factum est, ut in hac praecipue materia, quantum discipulis afferat damnum praeceptorum mutatio, facillime intelligatur; quocirca etiam, si quid habeant momenti ea, quae de methodo ambulatoria mox allaturus sum, eandem in hac saltim re tradenda adhibendam esse longe optimum habuerim. Linguarum classicarum atque Matheseos studium sunt ex rebus, quae discentur, eae, quas schola formalis loco primario habet. Quibus igitur allatis, ceteras eo lubentius enumerare supersedeamus, quod nobis fuit propositum hoc tempore, omnibus quae ad mores pertineant omissis, circa ea, quae ad exercendas animi facultates intellectuales vehementissime valeant, subsistere.

Aphorismus V.

Contentione de fine scholarum excepta, haud sane scio an ulla de re magis dissentiant auctores, quam de instituendi methodo. Quamvis nobis persuasum sit, magis praestantiâ praeceptorum quam methodorum scholae consultum fore, hunc tamen locum, in certamine paedagogico secundum, haud praetermittam; quare quae de methodis mihi maxime notatu digna videntur, sequentes aphorismi tractabunt. Urgent igitur alii, classes scholarum *clausas* esse debere, alii easdem *apertas* volunt. Ea classis dicitur clausa, ex qua disciplulo in superiorem prius transgredi haud licet, quam in iis *omnibus* rebus, quarum in classe traditur institutio, certum quoddam percurrerit stadium. Nomine autem apertae, ea classis insignita est, ubi unius pluriumve rerum discendarum haud justa cognitio puerum non praepediat atque moretur, quominus ei, aliis in rebus, quas melius teneat, ad superiorem classem pateat aditus; ita ut instituendus aliis in rebus aliis classibus adscriptus esse possit. — In classe clausa institutio tradi potest ab uno pluribusve praeceptoribus, quibus singulis suae singulae sunt praelegendi materiae Cum unus atque idem est omnium discendarum rerum praeceptor, exo-

ritur ea secundum classes lectio, quae, strictior appellata, vernaculis in scholis usu est frequentissima. Cui vero classi altera inest ratio, ibi invaluit, quatenus de praeceptoribus tantum agitur, methodus, cui est nomen ambulatoriae. Habet id schola, cui clausae insunt classes, ut non nisi stato tempore ex una in alteram migrare liceat. Quae tempora tali intervallo disjuncta sunt, quo pueros, qui neque nimis tardi neque celeres sint, in iis, quae tradantur, accipiendis, praescripta pensa absolvere posse, existimatum sit. — In scholis, quibus sunt apertae classes, etiamsi haud necessaria est methodus ambulatoria, est tamen more sollenni recepta, idque praeceptori pariter atque instituendo. Quo exoritur lectio secundum ipsas res, cui accedat necesse est libera per classes migratio, cujus id est proprium, ut quolibet tempore fieri possit, neque pendeat ex discipuli in omnibus, quae tradantur, rebus, sed modo in singulis praestantia. Cui legendi methodo etiam accedere potest rerum discendarum arbitrium (*valfrihet*), quo conceditur puerulo, vel potius ejus procuratori, potestas eligendi, quot quibusque in rebus, ceteris omnino neglectis, puerulus instituatur.

Aphorismus VI.

Si scholam ut *educandi institutum* consideramus, in id praecipue tendit lectio illa secundum classes, ut schola publica, quantum fieri possit maxime, imaginem paternae domus referat, patrisque loco praeceptorem habeat puerulus. Quod si scholae publicae sit propositum, facile intelligitur non nisi singulos praeceptores singulis classibus praefici posse. In uno praeceptore omnes pueruli adquiescant. Neque negari potest, ejusmodi monarchiam ex ipso puerili ingenio haud parum habere commendationis, quippe quae puerulorum naturae est accommodatissima. Tenerorum enim animos, qui se ipsi tueri haud valeant, unum modo praecipue diligere fiduciamque suam omnem in uno solo plerumque repositam habere nemo, puerulorum consuetudinis gnarus, umquam negaverit. Quae tamen fiducia atque caritas, hederis ambitiosior, quo magis distrahatur eo quoque magis minuatur necesse est. Quare et puer, ipsa natura duce, quo annis est tenerioribus, eo tenacius huic monarchico scholae principio plerumque adhaeret, nec, nisi complures jam annos natus, se ad polyarchiam componere potest. — Sin vero scholam

modo ut *erudiendi institutum* contemplamur, lectio secundum classes clausas eodem fere nititur fundamento ac schola formalis. Ipsam enim discendi materiam non per se plurimi facit, sed eam ideo tantum laudandam putat, quod suggerit adminicula, quibus adjuti scholares, id, quod institutionis summum habeat atque caput, ingenii culturam, tandem attingant. Tota schola est quasi stadium in partes, quibus sunt sui carceres, divisum. Ex ejusmodi carceribus simul ita emittuntur pueri, ut ad uniuscujusque curriculi calces simul quoque perveniant. Namque est existimatum, qui vulgari valeant proveniendi velocitate, eos, cum eodem tempore carceres relinquant, eodem quoque tempore ad calces esse perventuros. Vel, jam omissa stadii similitudine, vulgo habitum est, quibus communis sit hominum captus, eorum animos, pari tempore et exercitatione adhibita, pari quoque gradu subactos fore atque excultos. Quum vero, praecipue in classibus inferioribus, nullae aliae res discendae traduntur (vel vi saltim et ratione systematis tradi debent) quam quae ad puerile ingenium excolendum aptissimae videantur, sine ullo negotio colligitur, nullam omnino in hac serie partem impune missam fieri posse; quocirca etiam ea *omnia*, quae postulentur, prius calleant pueri, quam iis in classem superiorem adscendere liceat. Verum quidem est, qui celerius, quae tradantur, arripiant, eos hac via a tardioribus paullulum praepediri. Quod tamen damnum haud plurimi habeatur. Non enim quam multa sed quam multum puer didicerit refert, majorque rerum cognitarum copia majorem animi culturam haud semper probat. Neque fervidiori ingenio est detrimento si morando quasi defervescat, ut defervescendo corroboretur maturiusque evadat. Cumque morando id commodi discipulo redundat, ut, quae tradita sint, ea melius cognita et perspecta habeat, non est quod eum moratum fuisse poeniteat. Et si praeterea pensa uniuscujusque classis aequâ — id quod esse debent — lance pensitata sint, pauci admodum erunt, qui eo valeant ingenio, ut breviore, quam constitutum fuerit, tempore eadem rite absolvere possint. Paucorum vero puerorum gratiâ, qui quasi a regula exceptiones habendi sunt, a recepto systemate recedi neque potest neque debet. Quod si cuipiam nimis durum videtur, huic quoque rei facile mederi possumus. Neque enim, si quidam ingenio ad discendum paene divino valerent, de quo quererentur haberent, si lege scholastica sanciretur, (id quod etiam ut fiat, sapienti tamen, cui sit obediendum, subnexa conditione, Societatem rei educatoriae rogavisse invenio), ut singulis annis ad superiorem classem janua bis pateat reserata.

Aphorismus VII.

Methodus ambulatoria ut multa secum habet commoda, ita etiam nonnullis est obnoxia incommodis. His tamen in alterutra lance positis et justo utrorumque facto examine, nulli dubitamus contendere, incommoda commodis uberioribus compensari. Incommoda quibus laborat methodus ambulatoria sunt partim discentium partim praeceptorum. Illorum unum jam attulimus. Cernitur in puerulorum natura. Natura enim ita facti sunt pueruli, ut polyarchia mentem eorum perturbet. Qua sola de causa equidem satius existimem, methodum ambulatoriam in prima scholae elementariae classe haud adhiberi. Praeceptori haec methodus illud affert incommodi, ut collegis, quorum ad voluntatem se suasque res quodammodo adcommodet, undique circumdatus, de sua summa potestate nonnihil remittat. Quod longe aliter in schola vulgari, ubi sui temporis suarumque rerum summus adsit arbiter. Quo de arbitrio in schola methodi ambulatoriae nisi paullulum recesserit, periculum est, ne semina discordiae praeceptores inter spargantur. Praeceptores igitur, remittendo de summa quisque potestatis, mediis necesse est copulent concordiam. Quae tamen duo mala haud majora habeantur, quam quibus utrisque remedium facile inveniri possit. Quomodo rei puerulorum consulatur, jam supra diximus. Et cum praeceptoribus bene ageretur, si unus atque idem summus toti scholae praeficeretur Rector, qui, aeque disciplinae ac institutioni consulturus, quae dispersa fuerint atque dissipata, suo sub imperio quodam quasi vinculo contineret. Neque enim de schola minus quam de civitate valet Homericum illud: ὀυκ ἀγαθον πολυκοιρανιη ἑις κοιρανος ἐϛω. Neque, si quis urgeret eundem, quo suo muneri melius vacaret, praelegendi officio, quemadmodum in scholis nonnullis Germaniae usu venit, immunem esse debere, nos habebit valde dissentientes. — — Habet vero etiam methodus ambulatoria sua uberrima commoda, quae non in discipulos solum sed in praeceptores etiam redundant. Est quidem discipulis maximae utilitati nullam institutionis remoram fieri per diversas diversorum erudiendi rationes. Etenim est sua cuique praeceptori informandi methodus, neque facile, ne duos quidem deprehenderis, qui uno omnino eodemque modo res tradendas depromant. Quo factum est, ut omnis transmutatio praeceptorum sit instituendis impedimento. In schola enim, ubi methodus ambulatoria haud recepta est, puerulus sui magistri informandi methodum vix prius sibi reddidit familiarem, quam in supe-

riorem classem adscendat, ubi alius magister alia forsan utatur instituendi ratione. Hoc igitur modo molestiae, cum quibus ei luctandum erit, quoties transmutet praeceptores, toties revertantur necesse est. Cumque totius scholae curriculum tandem emensus sit, eis, quae per singulos particulatim tradita sunt, haud raro deest et series et *lucidus ordo*; quo tamen nihil est eis, quae percepta sunt, vel ad utilitatem uberius, vel ad diuturnitatem efficacius. Neque tamen ordinis solum atque seriei jacturam fecerit instituendus (quod jam detrimentum per se maximi habeatur) sed ea etiam ipsa, quae didicerit, non id fastigii assecuta sunt, quod sine dubio attigissent, si singuli singularum rerum fuissent praeceptores. Per se enim patet, rem discendam, quae a principio ad finem usque ab uno eodemque tradita sit, et majore stabiliri posse ordine, et longius promoveri, quam si eadem per singulos annos a singulis praeceptoribus fuisset tradita. — Neque praeceptoribus, hac methodo adhibita, sua desunt commoda. Primum enim, licet naturâ haud sit interdictum, ut ne in uno eodemque plurium rerum cognitio inesse possit, tamen qui ea omnia quae in schola tradantur ita, ut par est, percalleant, invenies sane paucos, qui omnia eodem animi studio amplectatur, certe neminem. Contra si sua cuique esset docendi materia nihil est quod impediat, quominus praeceptor et rem melius teneat et suo quaeque loco ita disponat atque depromat, ut facilis evadat atque expedita ejus omnis docendi ratio. Neque, eligendi potestate facta, aliam rem tradendam eligeret praeceptor, quam quae sibi maxime arrideret. Quo praeceptoris studio et suae disciplinae amore, nihil melius, nihil ad puerorum in literis alacritatem excitandam efficacius. Quod enim de fletibus est apud Horatium: si vis me flere, dolendum est primum ipsi tibi, id latius patet. Deinde ii quoque, quibus sunt dona docendi minora, majora efficere possunt, quam qui ad alios informandos vel optima a natura et usu habeant adjumenta, si his non contigerit ea, quae inchoarint, persequi. Etenim "tantum series juncturaque pollet." Tum illi quoque esset subventum incommodo ut ne inferiorum classium praeceptores — id quod interdum evenit — quererentur superiorum classium pueros, antea discipulos, nunc vero, classe jamjam relicta, nullo vinculo retentos, se non eâ persequi reverentiâ, qua par est omnes scholae praeceptores esse persequendos. Quae quoque majorum condiscipulorum temeritas praebet minoribus exempla, numquam salubria, interdum etiam nocitura. Methodus denique ambulatoria id praeceptoribus pariter atque discipulis affert com-

modi, ut, quod eos inter esse debeat vinculum, arctius constringatur. Nihil enim consuetudine copulatius. Plures igitur per annos in iisdem informandis versari, valet quidem illud vel maxime ad paternam apud praeceptores benevolentiam excitandam, neque minorem in discipulis exserat vim pietatem eliciendi. Quod studium non cito atque temere emergit, sed sensim atque pedetentim in animos irrepit, firmaturque consuetudine et diuturnitate. "Lente crescunt, quae diu sunt duratura." — — Priusquam vero ad alia transeamus, silentio haud praetereundum videtur, quod in methodum ambulatoriam maxime est animadversum. Quod ideo separatim posuimus, quia nobis est animus id diligentius examinare, et quae contra afferri possunt accuratius disserere. Urgent igitur, qui hanc aversantur methodum, si qua res discenda praeceptori parum idoneo commissa fuerit, eandem non in una tantum alterave classe negligi, sed totam per scholam jacere. Quod verum esse nulli negavimus. Animadvertant autem, hoc malum, ambulatoria adhibita methodo, et difficilius fieri posse, et, si factum fuerit, facilius, ne id latius serpat, prohiberi, quam, si vulgari institutionis spargendae via progressum fuerit, impediri possit, ne parum apti praeceptores in scholam irrepant, et, si irrepserint, retineantur. Primum difficilius fieri, est enim multo facilius eos reperire, qui una aliqua in re separatim elaborarint, eamque idcirco majori animi studio amplectantur, quam qui justam multarum rerum sibi comparaverint scientiam. Majore trahantur necesse est rei studio non ideo tantum, quod in suo quasi regno versantur, sed eam etiam ob causam, quod probe tenent, suamet ipsorum commoda et discipulorum progressus arctissimo inter se connexa esse vinculo, atque se solos, si pueruli in classibus inferioribus justa elementorum cognitione haud imbuti fuerint, hujus negligentiae poenam in superioribus esse daturos. Nemo enim, qui in pueris informandis paullulum est versatus, ignorat, quantam progressibus remoram faciat elementorum inscitia, quam haereant pueri, fluctuent, labantur, impediantur, nihilque extricent. "Ut male posuimus initia, sic cetera sequuntur" Cic: — — Fac etiam praeceptorem initio suae provinciae minus esse gnarum, habebit tamen plus temporis eam quaquaversum pervestigandi, quam si plures obtinuisset provincias. Ad quam quidem pervestigationem calcare vel acerrimo stimulatur. Eum enim fugere haud potest, non minus sibi soli laudem esse tribuendam, si progressi fuerint pueri, quam ignominiam si nihil profecerint. De sua laude ni-

hil detrahent inferiores collegae, neque ad eorum socordiam ullum omnino patebit refugium. Deinde si in scholam irrepserint praeceptores parum idonei, multo facilius prohiberi potest ne latius serpant hujus rei incommoda. Si enim res quaedam discenda negligentius tradita fuerit, ii, quorum est providere, ne quid detrimenti capiat res scholastica, statim intelligent, cujus culpa id factum fuerit. Vitia enim uniuscujusque praeceptoris, quemadmodum et illius virtus, non possunt non cerni. Facilior medicina morbi, cujus causa et cognita est et simplex atque una, quam si per totius corporis venas occultius serpat — — Cum vero in omni schola omnia in praeceptoribus sita sunt, vellem equidem ut lex scholastica magis quam solo examine paedagogico praepediret, ne nequioribus in scholam praeceptoribus pateret aditus. Quo quidem examine, sit vel maxime rigorosum, non ea omnia, quae praeceptoribus necessaria sint, satis indagari possunt. Valeatne rerum tradendarum scientia candidatus, an eas nesciat, et quaenam ei sint dona informandi, quodammodo percipi potest. Sed in obscuro erit, qua valeat patientia contra muneris scholastici molestiarum assiduitatem, quam aequa tolerare mente et animo haud languescente perpeti, haud in infimis praeceptorum virtutibus habeatur. Neque solo examine elucet, quaenam praeceptoris sit puerorum tractandorum ratio, quae quoque haud parvi est momenti. His igitur de causis crediderim equidem, non solo examine esse subsistendum. Vellem ut lege scholastica esset sancitum, quemadmodum est in scholis Bavaricis et Würtenbergiis, ut ne quis prius ordinarius pronuncietur scholae magister, quam unum alterumve annum vicarias sustinuerit partes. Est enim illud optimum, cuique maxima habeatur fides, examen paedagogicum practicum.

Aphorismus VIII.

Classis aperta cum sua discipulo quolibet tempore singulis in rebus in superiorem classem permissa transgrediendi potestatate, a classe clausa valde dissidens, longe aliam sequitur instituendi rationem. Cum enim clausis classibus praecipue est propositum, ut excolatur instituendi ingenium, ejusque rerum discendarum adjumenta ita in posterum firmentur, ut ipse suo tandem tempore et loco *activa* valeat facultate, nihil contra aliud quam *passivam* rerum tradendarum percipiendi facultatem captare videtur lectio secundum res, qua in sola receptivitate omnis adquiescit. Ex quo effectum est, ut omnis sua cura in eo verse-

tur, ut instituendus quam fieri possit celerrime, uberrima cumuletur rerum cognitarum copia. Floccique omnino pendet haec schola verba Facciolati, quae tamen puerorum naturam vehementissime attingunt: "non tam multa, inquit, pueri animus capit, non impletur hoc modo sed obruitur, respuit omnia nisi sensim immittas." Parumque omnino respiciunt, qui huic favent discendi methodo, utrum ingenii facultates ita excolantur et corroborentur, ut inculcatae rerum cognitarum copiae respondeant, an secus. Iis enim persuasum est, multa scire et recte sapere eadem significare. Hinc ortum est illud indoli puerorum indulgendi studium, quod non solum pandit aditum, verum et adjicit incitamenta ad ea arripienda, quae puerili ingenio maxime arrideant, concessa ceterarum rerum, si non immunitate, attamen in iis haud progrediendi libertate. Jam enim constat, nihil non incitamenti adhiberi in discipulos hujus scholae cujus symbolum jure dixeris: injice currentibus calcaria. Neque ulla eos tenet formido, ut puetuli ingenium, cui ita admovent stimulos, ut ætatem praecurrat et naturam, nativam vim demittat. Quod si teneris annis factum sit, periculum est ne totam per vitam languore torpescat. Ita topiarii flores, in hypocaustro positae, suum ante tempus blandis quidem superbiunt corollis, quae tamen verni temporis in summa ubertate luxuries haud raro ita consumit vires, ut mature flaccescant, nullosque ferat fructus auctumnus. Jam vero puerulus, futuri temporis immemor, in praesens devoranti intemperantia vivit. "Quantum inde, interrogat Facciolatus, redundabit utilitatis? Quantum scilicet, respondit idem, ad valetudinem *vel optimi* cibi intemperantia. Quemadmodum enim insitus stomacho ignis immodico cibo opprimitur, ita ingenium nequit, ut ita dicam, nimis multa concoquere, sed quasi oppressum otiatur, vel cruda et indigesta in malos convertit humores." Sed ne optima quidem, in quibus suis antecellat condiscipulis erit electurus. Quod enim ad animum excolendum optimum sit, id multi est laboris, quem puerilis aetas, non nisi in ludicra prona, maxime aversatur. Amara sapientiae radix. Quare et nonnulli, quominus una aliqua in re, ceteris et forsan magis necessariis neglectis, plus justo praecurrat discipulus, impedire voluerunt statuendo: ut nulla in re liceat puero longius progredi quam ad classem, ei proximam, cui ceteris in rebus sit adscriptus. Quod qui jubent luculenter satis agnoscunt, servandum esse illum rerum discendarum concentum, quem magni faciunt clausae classis assectatores. Facile autem intelligitur, concessam in classem superiorem progrediendi liberta-

tem, quominus hic concentus servetur, haud raro esse impedituram. Neque difficilior est intellectu difficultas, qua, si turbatus fuerit, restituatur. Per se enim patet discipulum parum omnino temporis tribuere posse rebus, a quibus abhorreat, addiscendis, si ceteris in rebus haud antecellat condiscipulis, sed ex aequo tantum cum iis incedat. Discipulus igitur cui est injunctum, et ea haud negligere in quibus superioris classis condiscipuli instituantur, pariterque earum rerum, quas neglexerit, justam sibi comparare cognitionem, is sane urgetur et a fronte et a tergo molestiis circumdatus. Neque tamen ei liceat utrique non satisfacere. Omnis enim ulterius progrediendi copia, donec omnia addidicerit, est recisa. Libertas igitur in specie magis quam veritate posita est, incommoda vero, si quid neglectum fuerit, non item. Suntque classes aeque fere ac antea clausae, quippe cum duae in unam coaluerint. Quod quidem etiamsi per se haud magni existimetur, magnum tamen, si rerum tradendarum rationem respexeris, affert incommodum. Vix enim fieri potest, ut horae, quibus praelegant, praeceptores inter ita distribuantur, ut iidem diversis diversorum desideriis ipsi satisfacere possint. Quare etiam necessario adhibeatur illa discendi methodus, qua pueri pueros invicem docent. Quae methodus, quid habeat vituperandi, sequens aphorismus comprobet. Neque tamen hoc solo incommodo laborat classis aperta, sed est etiam periculum, ne per eam adsuefiat puerulus suum omne literarum studium ad examina revolvere, qua consuetudine nihil vanius, nihil vero literarum studio perniciosius. — Præterea, re vel leviter tantum examinata, patet, vinculum, de quo mentionem fecimus, inter res discendas, non nisi per aberrationem a systemate in hac schola adesse posse. Rebus discendis ita inter se vinculo quodam constrictis, claudicat systema, tenetque inter classes apertas et clausas medium; quare et haec ratio, utriusque assectatoribus odiosa, neutris satisfacit. Quin immo, si classis aperta sibimet ipsa consentanea esse velit, ducat necesse ad rerum discendarum arbitrium. Quod enim jus pueris permittit aliis in rebus progredi, aliis vero eodem ac antea loco remanere, idem denique id ferat secumque habeat, ut, quibus in rebus jam liberaliter data sit potestas haud progrediendi, ab iisdem, ut omnino recedant instituendi, tandem permittat. Quo rerum discendarum arbitrio nulla perniciosior pestis, quantum equidem intelligo, scholis publicis afferri potest. Quam ad ingenium rite subigendum necessariam contendunt clausae classis assectatores comprehensionem atque ambitum rerum quarumdam cognoscendarum, ean-

dem, qui huic favent arbitrio, aut ullam omnino esse negant, aut parvi faciendam existimant. Contendunt enim consentaneam quandam atque communem omnium animi facultatum culturam haud requiri, non enim *universalia* modo *individualia* esse excolenda sibi persuaserunt. Quorsum cujuslibet studium atque impetus trahat, huc eundum; fac etiam puerile ingenium non nisi uni rei indulgere. Cui ut consultum sit, liceat universam eruditionis summam negligere, quamquam, ut apud Ciceronem scriptum exstat, omnes artes, quae ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum et quasi cognatione quadam inter se continentur. Quod si verum est, sine ullo negotio colligitur, omni educationi propositum esse debere, ut in excolendis animi dotibus efficiatur concentus. Quod vero raro fieri, permisso rerum discendarum arbitrio, non est quod mireris. Quid enim est, quod impediat, quominus discipulus, rem modo unam arripiens, totam percurrat scholam. Hinc duo sequuntur incommoda. Primum enim conceditur, scholam neque esse, neque esse velle simplex quoddam atque integrum, sed modo

— — — — — — pondus iners congestaque eodem
non bene junctarum discordia semina rerum.

Hoc enim modo interna scholae unitas, quae, communione rerum discendarum sublata, omnis tollitur, nulla esse potest. Quae tamen communio instituendis admodum est frugifera, cuique nulla re melius consultum iri potest, quam si omnis discipulorum opinio in eam spem traduceretur, ut non singulis in rebus, sed in iis omnibus, quibus condiscipuli operam dent, elaborando, se intelligerent ea, quae omni institutioni proposita sint, consequi posse. Dein, qui jam in schola patet arbitrio locus ibique suis munitur privilegiis, tradit puerulis sui juris potestatem. Quae tamen, quemadmodum nobis videtur, suum ante tempus pueris contigit, quaeque sine dubio haud parum nocebit disciplinae et obedientiae, quas tamen scholae venas atque viscera rite nuncupaveris. — Facile quidem animo comprehendere possumus classem apertam, quae easdem omnino profiteatur res discendas, quarum in classe clausa traditur institutio, quae tamen classium similitudo, per concessam res discendas eligendi copiam, vel a principio inde tollitur, vel in ipsa saltim classis indole et natura nihil omnino habet, quod impediat, quominus tollatur. Proficiscitur hoc omne rerum discendarum arbitrium a liberalitate male locata. Qui enim haud intelligunt, quo-

modo libertate rite utantur, iis ea conceditur. Ipsos quidem pueros hac intelligentia haud valere, nemo est, quin sibi habeat perspectum, eamque et in puerorum procuratoribus haud raro desiderari satis superque probat quotidiana experientia. Qui hoc urgent arbitrium, iidem credunt, se id suo quodam jure exinde repetere posse, quod schola est *publicum* institutum. Qua ipsa ex re sibi persuaserunt colligi posse, eandem non solum omnibus apertam esse debere, sed etiam singuli cujusvis desiderio prospecturam. Qua tamen in re vehementer errant. Nulli quidem negavimus, scholam esse publicum institutum, sed dupliciter. Namque habeatur publica non ideo tantum, quod *omnibus* pateat, sed idcirco etiam quod sibi habeat propositum, ea excolere, quae ad *communes* literas et humanitatem pertineant. In errore igitur ii versantur, qui credunt, scholam eam esse institutionem, quae, si modo illius habetur ratio, publica sit, quae vero, hoc si spectaveris, a singuli cujusvis repentino animi motu pendeat. Quod tamen neque ita est, neque esse potest; neque in *publicum* adsciscantur ea omnia, quae ad cujusvis *privati* opiniones et desideria accomodata sint. His enim haud satisfieri potest, nisi indolem sustuleris et naturam ipsius scholae, cujus id est proprium, ut haud privatis, sed publicis inserviat rationibus.

Aphorismus IX.

Methodus qua pueros pueri invicem docent et in classibus clausis et apertis adhiberi potest. Quid de hac methodo judicandum sit jamjam edocuit experientia. Omnes igitur omnium sententiae in eo consentiunt, eam esse a penuria praeceptorum inventam, subsidiumque praebere, quo huic incommodo quodammodo subveniatur. In scholis quidem popularibus adhiberi potest, ibique quadam ex parte id damni resarcit, quod exinde proficiscatur necesse est, quod discipuli, qui alii aliter profecerunt, plures, quam ipse instituere possit, praeceptori traditi sunt. In schola vero elementaria nullus omnino huic methodo esse debet locus, nisi forsan — id quod proh dolor! saepe evenit — ea sit discentium varia corona, ut quae praeceptorem inter et discipulos esse debeat proportio haud servata fuerit. Vix tamen heic, nisi summa urget necessitas, aliis in rebus adhibeatur, quam quae magis in memoria quam in judicandi vi positae sint — Methodum neque praeceptoribus neque discipulis, rem si accuratius examinaveris, esse lucro videbis. Praeceptor, quod tamen maxime spectatum est, parum

sane temporis inde lucratur. Ei enim, si officium diligenter persequatur, injunctum est temporibus subsecivis privatim examinare et ad informandi provinciam fingere monitores. Neque monitoribus bene consulit haec methodus. Quod enim tempus in praeparando ponendum erit, id etiamsi haud omnino a monitoribus perditur, esset tamen magis frugiferum, si haud aliorum sed suorum ipsorum pensis tribueretur. Repetitiones quidem laudari audio. Quibus etiam valde assentior. Sed animadvertant, haud pueris licitum fore aliis in rebus incedere monitores, quam quas jamjam probe teneant, quarum idcirco repetitio parum omnino affert commodi. Retardetur quoque necesse est eorum proficiendi copia eo, quod in docendo id collocent temporis, quod in discendo melius posuissent. Tritum enim illud proverbium *docendo discimus* maxime de iis valet, quibus major sit rerum cognitarum copia. Ceteris denique discipulis, qui a monitoribus erudientur, pessime consultum est. Res enim traditas et melius cognoscerent, et magis perspectas haberent, si ab ipso praeceptore informati fuissent. Quod adeo in aprico est, ut nemo id usquam negaverit, si modo jure existimandum sit, praeceptorem monitoribus, non doctrinâ solum sed et auctoritate antecellere. Valet enim vel maxime auctoritas praeceptoris ad id efficiendum, ut toti in eo sint scholares, ut omnia percipiant. Habet praeterea haec methodus id incommodi, ut si forsan praeceptores in suis officiis colendis minus religiosi fuerint, iis ansam otiandi praebeat. Denique haud parvi, et sane nescio an maximi, habendum sit id incommodi, quod ex hac methodo necessario proficiscatur, ut vita scholae vitalis, quae in ipsius praeceptoris voce spirat et informatione, exstinguatur, cujus in locum substituitur mechanismus. — Suus igitur locus huic methodo forsan sit non *intra* sed *extra* scholam, ubi major natu minori adsit, quorum in schola fiat examinatio, ad ea privatim informaturus. Quae quoque informandi ratio in multis patriae scholis, ab antiquis inde temporibus more est recepta.